

porum variarum querelarum obiectiones oriantur, maxime diebus istis, quibus impune malorum sevit iniquitas, per quos rationabilia facta priorum sepius irritantur, nisi testimonio veredicatorum testium aut scriptis auctorabilibus conprobentur, exigente debito officii nostri necessarium duximus, utilitati ecclesiarum quibus tenemur, precipue nostre diocesis, prospicere, ne de quibuslibet bonis suis iusta donatione seu emptione vel rationabili commutatione quesitis per voluntatem malignantium aliquid detrahatur. Ea propter universitatem fidelium scire volumus quod Bernardus episcopus Hildensemensis, cuius memoria in benedictione est, intuitu divine retributionis supplens inopiam fratrum Deo servientium in Amelongsburn perpetua donatione contradidit eis salinas parvi fontis prope Hemmendorp cum duobus mansis in Swalenshusen rogatu Ludolfi <sup>a)</sup> advocati Hildensemensis <sup>1)</sup>, postmodum episcopis Hermanno <sup>2)</sup> et Adologo <sup>3)</sup> superaddentibus decimam eiusdem fontis, sicut declaratur scriptis <sup>b)</sup> privilegiorum suorum. Predicti siquidem fratres minus utilitatis habentes de fonte salinarum propter fraudem incolentium emolumentum salis in amministrazione commiserunt comiti Alberto de Popenburch, existenti fideli <sup>c)</sup> in commissis usque ad resignationem cum proficisceretur Jherosolimam. Itaque iam sepius predicti fratres, cum eisdem salinis ad plenum volentes consulere utilitati, paci et quieti sue cum predecessore nostro Conrado imperialis aule cancellario convenerunt super commutatione quorundam bonorum videlicet super decima in Luderlessen et VIII<sup>to</sup> mansis in ipsa villa et molendino et duabus areis in Heskenshusen, <sup>4)</sup> quam commutationem coram testibus ratio-

a) Ludolfi *ſtop.* — b) scripta *ſtop.* — c) existens fidelis. *ſtop.*

<sup>1)</sup> Vgl. dazu die Urkunde Bischof Bruno's von 1158 April 9 (Janicke Nr. 310). Die Urkunde Bischof Bernhards ist nicht erhalten. — <sup>2)</sup> Urkunde von 1169 (Janicke Nr. 350). — <sup>3)</sup> Die Urkunde Bischof Adelogs ist nicht überliefert. — <sup>4)</sup> Urkunde von 1198 Okt. 23 (Janicke Nr. 537.)